

DEDICATIO.

*nium, & te regiã viã excidisse animadvertant. Jam superest ut posterius exequar, & elegantissima huic picturæ subjiciam monitus, quos subinde percurras, ut picturam tuam à situ, squalore & tineis præerves. Hosce monitus partiar in tria capita. Dicam enim, Quid, Quomodo, & Quare debeas discere hanc tenerã etate. Quid tibi discendum sit, disces ex illo Sapientum nostrorum: Ratio est manus intellectus, inquit illi; rationis oratio, orationis manus. Quotidie animo tuo volve & revolve hoc dictum, & discere illa, quæ rationi, orationi, & stylo formandis dirigendisq; serviunt. Rationem & orationem formant disciplinæ liberales, stylum exercitia. E disciplinarum liberalium universitate tu hanc quidem etate decerpes omnes artes orationis, quas vocant, & artem rationis principem, Logicam. Quotidie igitur excole rationem tuam, ut discas cognitionem veri & actioni boni: quotidie da operam, ut oratio tua splendescat: quotidie stylum in manum sume. At hoc tædiosum, inquit, hoc laboriosum. Tædium hinc nullum, inquam ego, nisi iis, qui invitati discunt. Labor magnus, si quis cæco impetu feratur hoc in mari, non ita magnus, si cynosuram sequatur ducem. Breviter ergo accipe, quonam modo hæc tria effecta dare possis, non certè sine omni labore, id enim impossibile, sed ta-*

*sed ta-*